

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Academiae Fridericianae Joh. Petr. Ludevigg, d.
Consiliarius & Histogramphus Regius, Jurium atque
Historiarum Prof. P. Ordinarius & Ducatus ...**

Ludewig, Johann Peter

[Halle], [1706?]

VD18 13417282

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-196196

SANCTA SANCTIS! 1. Pet. I, 15.



Osteaquam dies festi a DEO O. M. propterea ordinati sunt, ut solenne exstaret tempus, quo tanta humanarum mentium socordia, quæ divinorum beneficiorum memoriam facile obliterare solet, quotannis serio expelleretur, hominesque interius excitarentur ad amoris Dei oblatos fructus appetendos: quid, quæso, magis necessarium est, quam sacrorum PENTECOSTALIVM religio? Cætera, quæ divinitus in nos per Filium Dei collata prædicantur, omnia ad communionem Spiritus Sancti, tanquam finem, propter quem requisita fuerint, unice contendunt. Illa nimirum amissa per lapsum erat; illa idcirco in hominibus instauranda; illa exinde etiam dicta *benedictio*, qua, ut privarunt sese mortales, ita in *Abrahami* semine dignari eos denuo misericors Deus voluit. Quæ autem ista vesana oblivio, in qua plerorumque animi usque adeo sepulti penitus jacent, ut nihil fere terrestrium bonorum sit, quod non ardentius desiderent atque expetant, quam cælestia Spiritus sanctissimi dona; quibus tamen solis reparari ad imaginem Dei, & æternam ad salutem reduci nos, atque idonei ad optima quæque reddi possumus!

Dignissimum eapropter res Christiana institutum habet, quo anniversaria celebratione colitur *Pentecostalis* illa Spiritus S. emissio. Miraculorum hæc fuit plenissima, lingvisque omnibus Apostolos instruxit; testificans pariter, non jam soli amplius Judaicæ genti adstrictam esse gratiam divinam, sed latissime ad universos terrarum populos dimanare. Unum id erat, quod promulgabatur ita: alterum vero non minus significabatur, adesse ætatem, quæ ex merito Christi consummato eandem offerret multo uberrimam. Utrumque ut nos digna mente amplectamur, nec ipsum unicum præsidium deesse patiamur usibus nostris sempiternis, in eo his diebus omni cura & precum studio elaborandum est.

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Christianos!*

Quanta hodie invitati sunt prærogativa ad Spiritus S. opes largiter recipiendas, eo cum temporum discrimine, ut tum antea ad fideles

les

les quasi nondum is venisse censeretur! quem habuerunt quidem omnino, sed non ea mensura, nec tali efficacitate, qua deinceps se patefecit, tanquam propria Novi Testamenti. Hanc ergo & nobis destinatam meminerimus, tametsi non tam ad efficienda prodigia, quam ad accendendas in nobis virtutes celo dignas. Nos autem, quomodo effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ initium cepit, ut predicaretur per Dominum, & ab iis, qui audiverunt, in nos confirmata est: coattestante Deo, signisque, & prodigiis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti divisonibus, juxta ipsius voluntatem. Hebr. II, 3, 4.

Rectissime Augustinus Tom. VII. libr. IV. contra duas Epistol. Pelagianor. cap. VII. Spiritum Sanctum, fatendum est, etiam antiquis temporibus, non solum mentes bonas adjuvasse, verum & bonas eas fecisse. Utinam hoc effatum non modo judicetur verum esse, at ipsa etiam responderetur, quantopere existimandum sit, nihil quengquam vere boni posse assequi, nihil exsequi, nedum prosequi aut persequi, cujus auctor & effector non existat Spiritus S. in nobis! Qua de re qui parum sollicitus fuerit, licet idem illud profiteatur de actionibus suis, temere corrupto ingenii ductu sibi imponit, nec gratiam, sed naturam amat, consulit, fovetque: nam qui ducem Spiritum Dei fortitur, in miram trahitur solitudinem adversus carnis & mundi intra se molimina; contra quæ nisi anima decertet in vario infirmitatis sensu, potentia Christi se non exserit, nec quidquam ex ea perficitur. 2. Cor. XII, 9.

Filii Dei ante diluvium qui appellabantur, non sibi insipientes sunt visi, nec qui ex ipsis, heroes, ac viri fama celeberrimæ, prodierunt: nihilominus de iis conqueritur Deus, Spiritum suum frustra illos arguere in perpetuum, eo quod etiam ipsi fuerint caro. Genes. VI, 2, 3, 4. Quid vero est, quod tam præclara de istis fama & existimatio percrebuerit? nihil sane videmus, nisi quod a similibus sui hominibus in coelum sublati rumore sint propter facta, quæ non a Spiritu, verum a carne proficiscebantur. Itaque indignissimum dictu intolerandumque hinc emerfit Judicium, ut optimi haberentur a mundo, qui pessimi a Deo reputarentur, & vix Noachus unus superesset probandus atque servandus. Animadvertite, Cives Academicarum hujus seculi! animadvertite, quam longe aliter de nominis celebritate, nobilitate, præstantia, orbis terrarum sentiat, quam judex omnium nostrum sanctissimus, solus sapiens, solus timendus

etiam, quippe qui & corpus & animam perdere possit in gehenna. Matth. X, 28. Idem, quod illis, & vobis diluvium minatur; si non aquarum, at flammarum, interimentum sine fine. *Quæ fides vestra, si gloriam a vobis invicem sumitis, requiritis, suspicitis; veram interim vos gloriam, quæ a solo Deo est, non quaritis, sed negligitis stolidissimi?* Joh. V, 44. Quemadmodum enim flammæ istæ Pentecostales, in Apostolis conspicuæ, ignem coelestem, omnis salutis fontem, offerant divina præcepta amplectentibus; ita e contrario simul portantur iis, qui mundo adhæserint pertinaciter, malum pene incredibile, quod dudum antea Christus docuerat evenisse helluoni: hic namque ut opulentissimus, sic tam prudens sibi aliisque apparuerat, qui nec Mose aut Prophetis indigeret, donec aliud disceret in æternis ignibus. Luc. XVI, 33. Enim vero nequiquam hos expertus esset, si verbum Dei nolisset spernere, voluissetque ex ejus ardoribus Spiritus divini amore inflammari. Videte igitur, quos homines sequamini, cujus famæ viros audiat! Fugite ab iis, tanquam salutis vestræ inimicissimis, qui Scripturæ S. auctoritatem extenuant, ordinemque in ea præscriptum, quo caro subigenda, & spiritus in libertatem vindicandus est, reprehendunt nefarie ac depravant miserissimi: fugite ab iis, ut ne a vobis fugiat Spiritus Dei, auctor omnis & sapientiæ & prudentiæ, sed illius, *quæ in malitiosam animam non ingreditur, neque habitat in corpore, quod subiectum peccato: spiritus enim disciplinæ sanctus fugit dolum, & aufert se a cogitationibus insipientibus.* Sap. I, 4, 5.

Explore, quid optimum factu ac creditu statuendum sit! attamen ut exploretis id digne, Apostolorum exemplo Spiritum S. ducem quærite, nec latum unguem recedite a vestigiis, quæ vobis sanctorum litteræ commonstrant. Estote haud immemores illorum, qui jussu Dei ac Mosis tellurem Canaan investigarunt. Num. XIII. Decem illorum non putabant se falli aut fallere, aberrabant tamen nimium, & abducebant secum totum Israel a vero, corruptæ rationis affectu implicati. Reliqui duo, Caleb & Josua, unde sentiebant rectius? Viderant eandem terram, eosdem Gigantes, easdemque horum voces audierant. Atqui ipse Deus testimonium de iis perhibet, c. XIV, 24. 30. 38. quod *Spiritus alius cum illis fuerit, quo ducti impleverint obsequium suum.* Quod si alius adfuit his Spiritus, bonus & sanctus; necesse est, decem lociis ac comitibus etiam fuisse spiritum impulsorem, eumque malum & perversum, quamvis minime putarent;

rent; nec non primum & eis datum esse meliorem, quem quidem culpa sua amiserint, luctam internam ac constantiam adversus Satanae tentationem haud implentes. Ex quo intelligimus, humanis cogitationibus, opinionibus, consultationibus atque electionibus, interesse spiritum & bonum & malum, quorum unus contra alium pugnet, expectans, cujus conatibus cedat hominis arbitrium; diabolum vero carnis & sanguinis inclinationibus abuti, ipsosque regenitos, qui dominantem Spiritum bonum receperunt, ita furim adoriri per rationis latebras, ut *lucis angelus* videri possit. 2. Cor. XI, 14. Quamobrem minime sufficit, bene aliquando sentire; sed sciendum est, Dei oculum scrutari corda nostra, num instinctum numinis optimum sequi, sectandique studium adimplere nitamur. Historia Pentecostalis edocet, quam diverse Spiritum S. exceperint, qui ejus simulacra praesentia contemplati sunt. Obstupuerunt quidem omnes obrutu primo, deinde alios malignus Spiritus in haesitando retinuit, alios transvertit ad irridendum; alios tandem coactus est deferere, postquam Spiritui Sancto se prorsus tradiderant. Quo manifestius ob oculos positum habemus, Patrem coelestem nobiscum ita in rebus ad salutem aeternam pertinentibus agere, ut jubeat nos libere uti oblatis Spiritus Sancti auxiliis, sine quibus ex nobis valemus nihil. Itaque spiritali certe in militia, vertitur rectae conscientiae & virtutis cardo, nec quidquam ejus firmiter obtinebimus, nisi certamine Spiritus atque victoria defungamur contra carnem, tum vero gratia nos muniti ac confirmati in omnibus incedamus. Ecce! quam laeti & tranquilli, quam integri & contenti erant *ter mille illi*, prioris vitae sordibus erepti, *cibum sumentes cum exultatione & simplicitate cordis; laudantes Deum, & habentes gratiam apud totum populum.* Act. II, 46, 47.

Intuemini exemplum contrarium in *Herode Agrippa*, Magni nepote, cujus vitae exitus miserabilis describitur Act. XII, 21, 22, 23. pleniusque apud *Josephum* Antiquit. Judaic. libr. XIX, c. VII. Mirandum est, quam eleganter is suum ingenium ac judicium artibus Romanorum excoluerit, qui ab ipso Senatu in consilium adhiberetur, essetque Augustis Caesaribus, & *Cajo & Claudio*, auctor singularis. ibid. l. XII, c. XI. l. XIX, c. III. Quando autem neutiquam sensit, a profanis spiritibus se agitari, & abstrahi a vero spiritu Israelitico, cujus sapientiam idoneis precibus non quaereret; quo magis sic efferebatur, eo dementior ac detestabilior erat coram Deo, tam fatali eventu consequente, ut

nefandam tolerans adulationem, repente a Domini Angela percuteretur, & licet plagam fateretur a Deo esse, non tamen se male & infelicitè vixisse agnosceret. Hoc Davidis illud: Psal. XLIX, 21. *Homo qui in gloria, & non sapit ex Spiritu Dei, similem nanciscitur obitum, ut bestia excindatur.* conf. Rom. VIII, 5, 6, 7, 8, 9.

Longe maximum idcirco spectaculum aperuit una dies, qua per Apostolos omnium gentium homines commonefacti sunt, nationem & Judæorum & omnem aliam existere pravam ac permanere, nisi virtutem Spiritus Sancti igneam, ad naturam intime purgandam, adscisceret, eundemque salem divinum in universo vivendi genere sanando custodiret præsentissimum. Act. II, 40. Nec vero exinde artibus & scientiis pretium detrahebatur suum, tametsi infaustum esse illarum studium arguebatur eatenus, quatenus e solo mundi spiritu manaret, neque ex Spiritu Dei vera ejus & facultas & dispensatio precibus ardentissimis derivaretur. 1. Cor. II, 12. Quæ quidem non nova est veritatis obtinendæ ratio, interim tanquam nova, præsertim novis gratiæ jam aucta accessionibus, commendanda. Etenim & Moses in Ægypto, & Daniel cum sodalibus in aula Babylonica, didicerat uterque omnem utriusque loci sapientiam humanam; verum hac lege ultro adhibita, ut eo ardentius Spiritus Sancti opem sollicitarent, ne quid impuri & noxii haurirent animabus suis. Unde fiebat etiam, ut superiores omni affectu vano, ut ut maxime tentarentur, persisterent, ipsaque gravissima pericula evaderent salvi atque incolumes. Quam illustris autem efflorescebat in iis perspicientia rerum omnium, quantus doctrinæ splendor! Quid est, quod in Regum aulis non occultet suppressatque invidia? nec efficere tamen hæc poterat, quo minus tum Pharaoni Ægyptio, tum Nebucadnezari & Belsazari Babylonico pateret, verissimum Dei Spiritum apud solum Josephum & Moysen, apud solum Danielem, posthabitis tot præclaris sapientibus, habitare, ipsosque pueros, eo instructos, decuplo sapientiores omnibus Magis reperiri. Gen. XLI, 38. Act. VII, 22. Hebr. XI, 24, 25, 26, 27. Dan. I, 8. 17. 20. c. IV, 6. c. V, 14.

Post Apostolicam Pentecosten litteræ a Christianis haud spernebantur, nisi damnata & temere curiosa studia, (*πρῆγχα*) quorum volumina exurebantur etiam. Act. XIX, 19. Lucas non abhorrebat a Medicinæ arcanis, Col. IV, 14. nec Sergius Paulus a Juris peritiis, Act. XIII, 7. nec Clemens (Philipp. IV, 3.) a disciplinis, quibus innutritus erat. *Recogn.* I. VII, 3, 4. Experiebantur Philosophi atque omnes alii, summiq;
scin-

& infimi, notitiam rerum quarumcunq; suam immerfam tenebris fu-
 ille, antequam admirabilem Spiritus lucem a Christo acceperint, qua
 cuncta mirifice illuminarentur. Sicut enim Israelitæ exeuntes ab Æ-
 gyptiis petebant, non idola ipsorum & onera gravia, quæ potius dete-
 stabantur & fugiebant, sed vasa atq; ornamenta, de auro & argento, vesti-
 pretiosas, sibiq; ad usum meliorem clanculo vendicabant; sub qua figura
 præsignatum esse, quod Christiani, quicquid boni in Gentilium scri-
 ptis lateret, ab iis, tanquam injustis possessoribus, ad justum Evangelii predi-
 candi usum translaturi essent, Augustinus scite docuit Libr. II. de Doctrina
 Christi. c. XL. addens: Nonne aspiciamus, quanto auro, & argento, & veste suffar-
 cinatus exierit de Ægypto Cyprianus, doctor suavissimus, & martyr beatissimus?
 quanto Lactantius? quanto Victorinus, Opiatus, Hilarius, ut de vivis taceam?
 quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses
 fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum:
 sic animi, doctrinis imbuendi, tum demum a falsis vera, & digna ab
 indignis, optime discernunt, si enervatis cupiditatibus vividam Chri-
 sti indolem induerunt. Nam spiritualis dijudicat omnia. 1. Cor. II, 15. Quo-
 modo id contingat, nemo rectius & crebrius inculcat, quam B. Luthe-
 rus in Comm. super Ep. ad Gal. scribens in c. IV. Spiritus S. dupliciter
 mittitur; vel cum specie visibili, vel sine ea per verbum in corda credentium.
 Hoc fit, quando per verbum vocale concipimus ardorem & lucem, quæ alii & no-
 vi efficiuntur, quæ novum iudicium, novi sensus & motus in nobis oriuntur. Ista
 mutatio & novum iudicium non est opus humane rationis & virtutis, sed donum
 & effectus Spiritus S., qui cum verbo predicato venit, qui fide purificat corda &
 spirituales motus in nobis parit. Et in cap. VI. Revera sensus alius & aliud
 iudicium, nempe spirituale, nascitur, quod ea, quæ prius magnificat, post abomina-
 tur. Nova creatura est renovatio mentis per Spiritum S., quam sequitur postea
 etiam mutatio membrorum & sensuum corporis. Nam ubi cor novam lucem,
 novum iudicium, novos motus per Evangelium concipit, fit, ut interni quoq; sen-
 sus innoventur. Quod posterius exponit in cap. II, 20. Paulus non negat,
 se vivere in carne, quia facit omnia opera animalis hominis. Deinde utitur etiam
 rebus animalibus, victu, vestitu &c. sed negat, se vivere ex carne, vel secundum
 carnem, verum in fide, ex fide & secundum fidem. Verbum, quod corporaliter
 loquor, est verbum non carnis, sed Spiritus S. & Christi. Iste visus, qui ingredi-
 tur vel egreditur ex oculis, non venit ex carne, hoc est, caro mea non regit eum, sed
 Spiritus Sanctus. Ita auditus non ex carne, licet in carne, fit, sed in & ex Spiritu
 Sancto est. Christianus non loquitur, nisi casta, sobria, sancta ac divina, quæ per-
 tinene

vinent ad Christum, ad gloriam Dei & ad salutem proximi. Sum in carne: non enim possum docere, scribere, nisi istis instrumentis carnis, quæ requiruntur ad talia opera perficienda: & tamen ea non veniunt ex carne, neque fiunt secundum carnem, neq; in ea nascuntur, sed donantur & revelantur e cælo divinitus. Sic Christianus utitur mundo & omnibus creaturis, ut nulla differentia sit inter ipsum & inapium: nihilominus tamen est maxima differentia. Hoc, quod jam audis me loqui, ex alio fonte profisciscitur, quam quod antea audisti me loqui. Ex his intelligi potest, unde veniat illa aliena & spiritalis vita, quam animalis homo non percipit. Nescit enim, qualis hæc sit vita; ventum quidem audit sonantem, sed, unde veniat, aut quo vadat, nescit. (Joh. III, 8.) Audit vocem spiritalis hominis, agnoscit faciem, mores & gestus ejus: Sed, unde illa verba, non sacrilega & blasphemata, ut antea, sed sancta & divina, unde illi motus & actiones veniant, non videt. Quia illa vita est in corde per fidem, ubi extincta carne regnat Christus cum suo Spiritu Sancto, qui jam videt, audit, loquitur, operatur, patitur, & simpliciter omnia agit in ipso, etiamsi caro reluctetur. Breviter, ista vita non est carnis, licet sic in carne, sed Christi filii Dei, quem fide possidet Christianus.

O beati, hunc qui fructum Pentecostalem assequuntur ac percipiunt, hanc aquam spirituales qui degustant intra se, & audiunt salientem in vitam æternam, sonantemque hac voce: *Veni ad Patrem!* Apud eos amor ipsorum est crucifixus, neque est in ipsis ignis, quo hunc mundum amant. Ignat. Epist. ad Rom. Inflammati sunt celesti lumine, ex quo quicquid agunt, lucrum & fecus parturit infinitum.

*O cives, cives, querenda hæc gratia primum,
Virtus post illam!*

Quam misere falluntur, qui vel voluptatem corporis, vel honestatem seculi, vel mundi eruditionem sectari malunt; nescientes, voluptatem non dari veram, nisi e spiritu, nec honestatem aut eruditionem, nisi quæ ab eodem purgetur ac dirigatur, nomini suo satisfacere. Non mittitur Spiritus Sanctus ad cives Babylonis, utpote qui ad talia impure committuntur; sed tantum in cives Hierusalem effunditur Spiritus gratia & precum, fons aperitus pro peccato & pro immunditie, Zach. XII, 10. XIII, 1. si vel maxime sub Babylone sint, verum ita, ut gemant, nec delectentur ea. Precamur eam ob causam, Dilectissimi! cum Petro 1. Ep. c. II. 11. ut tanquam advena & peregrini abstinentia a carnis cupiditatibus, quæ militant adversus animam; totamque animi & corporis compagem, tanquam templum Spiritui Sancto dicatum, denuo his diebus ipsi consecretis: 1. Cor. VI, 19. semper memores, non residere illum, ubi peccatum dominatur. Ita vero petite, & dabitur vobis; querite, & invenietis; pulsate, & vobis aperietur! Non potest etenim Pater celestis, quin promissionem Filii unigeniti servet, daturus Spiritum Sanctum petentibus, quærentibus, pulsantibus: Luc. XI, 9. hoc est, constantia ejusmodi utentibus, quæ Apostolos, eundem præstolantes, sancte imitetur.

Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI. Acad. Typogr.